19337

DE
VELLEIANA TIBERII IMAGINE IUDICIUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

GUILELMUS GOEKE
GUESTFALUS.

IENAE, 1876.
TYPIS RATII.

346

De M. Velleio Paterculo eiusque opere, quod inscribitur „historiae Romanae ad M. Vinicium consulem libri duo," multi exstiterunt, quorum alii aliud fecerunt iudicium. Plurimis quidem viris doctis inde ab anno millesimo quingentesimo vicesimo, quo primus Beatus Rhenanus hunc librum ex codice coenobii Murbacensis in lucem edidit, fuit persuasum, Velleium assentatorem esse existimandum humilem atque hominem, cui fides habeatur, indignissimum. Neque id mirum est.

Haud enim facile leget quisquam Tiberii illam vel Seiani imaginem, quam depingit scriptor, quin tot tantisque laudibus, quas esse nimias immodicasque nemo non intelligit, vehementer offendatur. Accedit, quod ipsi veteres scriptores duobus exceptis, quum neque Velleium neque opus eius commemorent, taciti quodammodo huic iudicio assentiri videntur. Alii vero, qui quidem multa in illa, qua de Tiberiano agitur imperio, operis parte a veritate abhorrere concedunt, partim de rerum inscitia partim de iniquitate temporum scriptorem excusaverunt. Quorum primus Carolus Morgensternius in „commentatione critica de fide historica Velleii Paterculi, imprimis de adulatione ei obiecta" operam dedit, ut a Velleio demoveret opprobrium illud adulationis, cuius criminis maxime arguitur, atque eum non consulto de Tiberio eiusque aetate falsa memoriae tradidisse planum faceret. Cuius partes quum sequerentur Crausius, Cludius, Sauppius, Kritzius, qui in emendando et enarrando Velleii libro aliquid magni memorandique effecerunt, eiusque sententiam

pro approbata acciperent, non est, quod ipsius Tiberii complures exstitisse defensores miremur. Ac primum quidem Montaignius, Buchholzius, Kruegerius, Sieversius, Ihnius, Merivalius in eo elaboraverunt, ut hunc imperatorem a simulatione, crudelitate aliis flagitiis, quae vulgo ei vertuntur crimini, defenderent. Prae ceteris vero Adolphus Stahrius et Ludovicus Freytagius eius patrocinium ne dicam laudationem susceperunt, quorum prior ut Velleii iudicium probare eumque cautum ac providum scriptorem, cui assensi sint multi aequalium, nominare non dubitat, ita Tacitum eiusque asseclas nimis tristibus coloribus in Tiberii imagine effingenda usos esse affirmat, alter Tiberium magnificis laudibus prosequitur, qui ob magna in populum Romanum merita optimis omnium aetatum principibus sit adnumerandus. Quare, quum duae omnino sententiae inter se pugnent, Velleii de imperatore Tiberio iudicium examinetur sine ira et studio necesse esse facile intelligitur. Id vero ut hac disputatione efficere possim, neque illis, qui Tiberium omnium probrorum compertum esse censent, neque laudatoribus eius assentiendum esse arbitror, sed mediam quandam viam persequens singulos, quibus de hoc Romanorum imperatore Velleius tradit locis, paulo uberius exponere mecum constitui.

M. Velleium Paterculum, ut ab eius facultate verum dicendi in hac quaestione exordiar, ex Tiberii aetatis scriptoribus optime certa quaedam de hoc imperatore memoriae posterorum tradere potuisse, facile potest intelligi. Ipse enim de vita sua, quam Priscianus et scholiasta Lucani strictim tantummodo attigerunt, in historia Romana multa, ex quibus id apparet, copiosissime narrat. Qua in describenda primum mentionem facit stipendiorum illorum, quae sit meritus in Thracia Macedoniaque (cf. II. 103, 3). Ibi postquam M. Vinicii patre et P. Silio ducibus tribuni militum gradum adeptus est, in Syriae provinciam secutus C. Caesarem, quem cum Parthorum rege in Euphratis fluminis insula convenientem videre ei contigit, magnam permigravit Asiae atque Europae partem. Paulo post acerrimo illi

bello, quod Romani per novem annos in Germania Pannoniaque gesserunt, Tiberii auspiciis praefectus aut legatus interfuit ita que, ut scriptoris verbis utar, coelestissimorum eius operum factus est spectator et adiutor (cf. II. 104, 3). Quo ex tempore in omnibus fere versatus est bellis, quibus Romanis copiis praeerat Tiberius. Nam quum equestri militia finita quaestor esset designatus, exercitus partem, quem Augustus privigno suo auxilio misit, in Pannoniam ad eum perduxit (cf. II. 111, 3). Cum aliis deinde legatis praepositus est hibernis, in quae Sisciam regressus summus dux legiones diviserat hiemandi causa (cf. II. 113, 3). Expeditioni quoque, quam, ne Galliae fines cum copiis Germani invaderent, Romani susceperunt Pannoniis denuo imperio subiectis, Velleium adfuisse ex ipsius quidem verbis satis non patet. Sed ea de causa affirmandum est pro certo, quod alio loco de novem annis commemorat, quibus Tiberii castra secutus sit (cf. II. 104, 3). Romam inde reversus ipse et frater triumphum, quem Tiberius de Pannoniis Delmatisque egit Germanico quoque bello finito, inter viros praecipuos praecipuisque donis adornatos sunt secuti (cf. II. 121, 4). Cum eodem fratre duobus post annis ei contigit, ut praetor destinaretur primo Tiberiani imperii anno (cf. II. 124, 4). Quo munere administrato usque ad M. Vinicii consulatum, ad quem gratulaturus librum misit, aliis eum functum non esse honoribus, quum nullorum faciat mentionem, verisimile est. Neque de reliqua Velleii vitae parte, quomodo quandoque obierit mortem, certa quaedam afferri possunt. Nam ea, quae de consulatu vel de supplicio, quo simul affectus sit scriptor cum Seiano, nonnulli suspicantur, in coniecturis tantum posita esse, haud dubie apparet. Haec tamen, quum ad ea, quae nobis sint examinanda, non pertineant, supervacaneum est uberius tractare. Sed in Tiberii aetate describenda Velleio, quem militem et deinde in aula huius imperatoris multum vitae degentem cognovimus, verum iudicium facere licuisse, satis elucere videtur ex iis, quae supra sunt explicata.

Jam eo perventum est, ut paulo accuratius examinemus, quid statuendum sit de Velleii verum dicendi studio et fide historica, qua adulterata gravissimam subiisse videtur vituperationem. Ac primum quidem eum esse levem rerum scriptorem, nusquam fere in rebus enarrandis versantem accuratius, sed in superficie tamquam haerentem, quum ea, quae nullius momenti sint, amplissimis saepe verbis conscribat, res mentione dignissimas saepe magna percurrat festinatione, non raro silentio praetereat, multis ex rebus facile percipiatur licet. Huc pertinent, quae de Asinio Pollione, quem negari non potest virum sane egregium fuisse, pro tanta brevitate, qua alia ac memorabiliora scriptor tractat, nimis fuse et late multis locis commemorata sunt (cf. II. 36, 2. II. 76, 2. II. 128, 3). Idem videtur peccavisse in referendis muneribus a Munatio Planco administratis, cui viro vehementissime maledicendi gravissimasque afferendi offensiones nulla ab eo omittitur occasio (cf. II. 63, 3. II. 64, 1. II. 67, 3. II, 83. II. 95, 3). Contra quod de triumviratu a Pompeio cum Caesare et Crasso inito legimus, nihil est ad rem gravem magnamque. Vix enim de rebus novis a Pompeio in Asia institutis, ad quas confirmandas hanc societatem initam esse Velleius ipse narrat, mentio fit, nedum quae fuerint explicetur paulo uberius (cf. II. 44, 1 u. 2). Quin etiam, utrum eae comprobatae sint postea Caesare consule necne, silentio omittitur. Simili ratione Velleius usus est in rerum, quas Caesaris mortem esse secutas nemo ignorat, descriptione. Neque res a Tiberio gestas, quamquam orationis amplificandae studio multum in iis narrandis moratur, paulo diligentius exquisitas esse facile apparet. At de levitate, quam magnam partem ex celeritate scribendi, qua, quominus accuratiorem rerum cognitionem hauriret, scriptor prohibebatur, ortam esse facile est ad intelligendum, inter omnes, ut opinor, viros doctos idem constat.

De adulationis vero crimine sententiae valde variantur. Nam quamquam, qui primum Tiberii descriptionem in Velleiano libro legerint, hoc quoque opprobrium verum esse concedent, nonnulli

tamen scriptoris defensores exstiterunt multumque operae navarunt, ut melius de eo existimandum esse demonstrarent. Quare singula, quibus hoc iudicium confirmare studeant argumentis, paulo uberius explicentur oportet. Sunt igitur, qui dicant, non modo Tiberium verum etiam alios viros summis a Velleio laudibus esse elatos. Sed licet quaeramus, qui fuerint hi viri. Si rem diligentius examinamus, facile intelligi potest, Velleium in eorum, qui Tiberiana aetate praecellebant in re publica domi administranda aut foris gerenda, descriptione totum pendere ex aulae aura. Nam ut aequalium tantum Tiberii mentionem faciam, laudatos non invenio nisi cum eo necessitudine aut familiaritate coniunctos, prae ceteris Seianum (cf. II. 127 et 128) et Claudium Drusum (cf. II. 95, 1. II. 97, 2 et 3) et Liviam (cf. II. 75, 3. et II. 130, 5). Ac de Seiano, quem amplissimis honoribus ornatum ipse princeps eximia quadam caritate complexus est, nescio quid aliud scribere potuerit. Eum enim vituperare non solum erat periculosum sed etiam a Tiberio in suam contumeliam facile accipi poterat. Simile aliquid in Druso et Livia commemorandis Velleio erat timendum. Sive Tiberius re vera fratrem suum amavit, quod multis testimoniis (cf. Plin. nat. hist. VII. 20. Suet. Tib. VII et XX. Dio. LV. 2. Zon. X, 35. p. 419) verisimile est, sive clam ei invidit et obtrectavit, certe se fratrem bonum putari voluit. Matri quoque imperatorem multum indulsisse et omnia, quae sunt boni filii, praestitisse, quamquam saepe, ne immodici ei tribuerentur honores, obstitit, quum alii testes sunt locupletissimi tum Tacitus, qui saepius eius erga matrem praedicat pietatem (cf. Tac. an. I. 2—3. II 34. III. 15—18). Quapropter, quum Velleius gratiae captandae studio nil nisi bene de illis, quos commemoravi, afferre posset, mihi persuadere non possum, scriptorem hanc ob rem ab adulationis crimine esse liberandum. Accedit quod eorum laude imperatoris quoque memoria nomenque celebrabantur.

Sed fortasse Velleius affectus erat vera ac sincera Tiberii

admiratione et id, quod ex nimia adulatione effluxisse videtur, fidelis civis et militis est, quem caute et provide in iudicio faciendo versatum esse recte Stahrius affirmat. Credo saepe fieri, ut milites, quos eximius quidam amor ducis tenet, omnia, quae pertineant ad eum, probent atque in gloria ponant. Etiam Tiberium fuisse magnum ducem negari non potest Id autem in dubium vocandum est, utrum legionum studio et amore Augusti privignus re vera sit usus, necne. Velleius quidem laetitiam, qua Tiberium Rhodo reversum, quum ad eum summa belli contra Germanos delata esset, legiones recepissent, tantam fuisse praedicat, ut ducem conspicientes prae gaudio nequissent tenere lacrimas et vel manum eius attingere gavisae essent. Sin vero Suetonii (cf. Suet. Tib. 42) verba, quae sunt de Tiberii cognominibus, et Dionis (cf. Dio. 55, 23) militum animos describentis recordaris, non fieri potest, quin abhorrere agnoscas Velleii verba omnino a fide. Adde quod eaedem legiones, quarum singulare celebratur studium, paulo post contra Tiberium rebellaverunt atque re ipsa Velleii descriptionem quodammodo refellunt. Apparet igitur, non ubique veram admirationem scriptoris in Tiberiana imagine effingenda duxisse stilum.

At, inquiunt, ne potuit quidem Velleius vere referre de Tiberii aetate, propterea quod eius dominatio erat gravis atque iniqua et omnes scriptoris aequales ad adulationem propensos se exhibebant. Audio, res est digna, quae paulo accuratius exponatur. Profecto Tiberii imperium tam acerbum fuisse, ut nemini, quae vellet, dicere ac sentire liceret, clarum praebet exemplum Cremutius Cordus, quem nullam aliam ob causam accusatum esse capitis scimus, nisi quod in annalibus M. Bruto laudato C. Cassium dixerat Romanorum ultimum (cf. Tac. an. IV. 34 et 35. Suet. Tib. 61. Dio. 57, 24). Id quoque dubitandum non est, quin ipsi senatores in servitium praecipites reliquis assentationibus ac blanditiis praecurrerint. Nihilominus aliquo modo fieri potuisse, ut veritatis diligens scriptor mediam quandam viam ingrederetur, prae ceteris docet M Lepidus, quem

summis honoribus functum Tacitus (cf. Tac. an. III, 35. III, 50. IV, 20. IV, 56. VI, 6) laudibus effert, quod Tiberio principe absque nimia audacia ac servili animo prudenter vitaverit et calumniatorum insidias et invidiam. Quod exemplum secutus, non ut Tiberium vituperaret sed parcius in eo laudando versaretur, Velleius neque ulla macula famam apud posteros violare et vitam a periculis tutam degere potuit. Nunc autem, quum omni moderatione relicta nimis effusis laudibus Tiberium prosequatur, omnino non illis assentiendum esse arbitror, qui exstiterunt scriptoris defensores.

Neque eo Velleius excusandus est, quod dicunt alii, nullam scriptori fuisse spem fore, ut adulationis praemiis a Tiberio afficeretur, quippe quum librum ad M. Vinicium cousulem gratulandum scripsisset. Etenim si taceo de Adolphi Schmidtii opinione, qui ipso principe adhortante Velleium composuisse libellum censet, tamen non potest dubitari, quin Tiberius notitiam eius consecutus sit. Hoc vero modo ea, quae intenderat scriptor, facilius perficienda fuisse sine dubio elucet. Nam nimis manifesto gratiae ambiendae studio admodum erat timendum, ne Tiberii, ut erat vir suspicax et natura tristi ac recondita, excitaretur ira, praesertim quum assentatio humilis ei odiosa esset. Itaque etiam hanc ob rem fieri non potest, ut adulationis crimen a Velleio totum amoveatur.

Immo potius alia sunt, quae, ne hoc fiat, prohibere videantur. Huc pertinent, quae legimus de viris, qui Tiberiana aetate rei publicae muneribus functi sunt. Nam in eorum vita describenda ita imperatoris rationem habet, ut illos, qui necessitudine vel familiaritate cum eo coniuncti fuerint, amplissimis laudibus extollat, eius adversarios persequatur conviciis. Quo in numero ponendus est C. Caesar, quem iuvenem ab alio nullo reprehensum Velleius turpissimis libidinibus obnoxium fuisse tradit, quibus commotus maluerit in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere quam Romam regredi. Simili modo M. Lollius, quem C. Caesaris amicum et ob id Tiberii inimicum

fuisse constat, homo a scriptore vocatur in omnia pecuniae quam recte faciendi cupidior. Quantis vero laudibus Tiberii familiares exornet, multis exemplis, quae enarrare hoc loco necessarium non est, ad evidentiam patet. Quare magis illis, qui Velleium non solum levem auctorem esse, sed etiam adulatorem contendunt, quam defendentibus eum quacunque ratione assentiendum esse arbitror, quamquam hoc loco silentio praetereatur non licet, nonnihil excusari scriptorem, quod sedecim tantum priores Tiberiani imperii annos in libro suo enarrat, quibus re vera imperator non semel, sed saepe de re publica meritus est. Imprimis autem adulatorium eius ingenium intelligi potest iis locis, qui ad ipsum Tiberium attinent, de quo viro ita examinabo Velleii iudicium, ut primum de Tiberii virtute imperatoria agam, deinde, quae gesserit in administranda re publica, exponam ac denique examinem vitam moresque eius.

Jam iis verbis, quibus Tiberium scriptor introducit (cf. II. 94, 1), gratiam quaerendi studium haud difficulter intelligitur. Nam tot tantisque eum fuisse dicit ornatum et animi et corporis virtutibus, ut, qualis postea foret, nemo ignoravisset. Quod quamquam aliqua ex parte verum esse constat, aliud tamen est, in quo offendimur. Nihil enim de vitiis, quae Augustus saepe apud senatum et populum excusare tentavit (cf. Suet. Tib. 68), affert Velleius, sed silentio ea praeteriens virtutes tantum extollit. Eodem spectant, quae in sublevandis rei frumentariae difficultatibus de Tiberii meritis legimus. Praecipue vero, ut utar ordine, quem paulo ante exposui, virtus imperatoria amplissimis verbis celebratur, cuius primum Augusti privignus specimen edidit in provinciis, quae sunt sub oriente, ordinandis. Qua in re, si Velleio (cf. II. 94, 2) auctore uti licet, non est dubium, quin optime de Romanorum re publica Tiberius meritus sit et omnia, quae egregii ducis sint, praestiterit. Etenim non solum eum Artavasdem in Armeniae regno, postquam redactum est in populi Romani potestatem, collocasse narrat, sed ipsum Parthorum regem eius fama territum liberos suos ad Au-

gustum obsides misisse. Sin vero legeris, quae alii scriptores de hac expeditione commemorant, singula fere verba impugnanda esse facile agnosces. Ut omittam, quae multis iisque gravissimis testimoniis perspicua sunt (cf. Tac. an. II. 3. Suet. Tic. 9. Dio. 54, 9. Mon. Ancyr. 5, 28) non Artavasdem sed Tigranem Armeniae regem esse factum, nemo alius magnum fuisse illud bellum affirmat. Quin potius refert Dio Cassius (cf. 54, 9), levis momenti fuisse expeditionem atque gestum esse in ea nihil tanto apparatu dignum, quum Armenii pacem cum Romanis reconciliassent, priusquam eorum exercitus fines regni ingressus esset. Dioni autem fidem esse abrogandam mihi non persuadeo, propterea quod et aliis in rebus invenitur vir veritatis diligens et ipsis factis narratio eius comprobatur. Nam postea demum Armenia in provinciae formam a Romanis redacta est. Neque regem Parthorum Tiberii metu liberos suos Romam misisse obsides, testis est Tacitus (cf. Tac. an. II, 1), qui eum popularium fidei diffisum ita egisse scribit. Nimia igitur laude in his rebus describendis versatum esse Velleium apparet.

Simili ratione Tiberii merita, quae paulo post bello contra Rhaetos Vindelicosque gesto sibi comparavit, a scriptore celebrantur. Qua in re etsi verum est, hostes esse perdomitos, quum Romanorum exercitus undique fines eorum invaderent, alia tamen, quae placent minus, nobis in legendo occurrunt. Nihil enim affert Velleius de gentium discordia, qua prohibitae sunt, ne arma iungerent contra communes hostes, quorum odio omnes simul flagrabant. Sed de numero tantum hostium, de locorum difficultatibus, quae hoc bello superandae erant, facit mentionem, scilicet ut augeretur hac re Tiberii gloria. Id quoque haud inconsulte factum esse videtur, quod scribit, in modum adiutoris Drusum fratri ab Augusto esse additum.

Ad idem res amplificandi studium pertinent, quae legimus de bello cum Pannoniis Delmatisque gesto (cf. II. 96, 2 et 3). Tiberium quidem permagna in eo virtutis imperatoriae edidisse

specimina, ex multis testimoniis, quae afferunt alii quoque rerum scriptores, facile demonstrari potest (cf. Suet. Tib. 9. Dio 54, 31. 54, 34. Liv. ep. 139). Etiam ex ea re hoc verum esse elucet, quod per quindecim annos nullam contra Romanorum imperium eae gentes fecerunt rebellionem. Attamen dubitari non potest, quin Velleius in praedicandis Tiberii meritis modum excesserit, quippe quum, ne triumphum ageret de hostibus, ipse Augustus obstaret, sed tantummodo concederet ut ovans urbem ingrederetur (cf. Dio. 54, 31). Simul obliviscendum non est jam antea Pannonios Delmatasque a M. Agrippa (cf. Dio 54, 28) et P. Silio (cf. Dio. 54, 20) paene esse subiectos, quamquam Velleius bellum ab Agrippa et M. Vinicio, quem commemorat pro P. Silio, inchoatum tantum neque perfectum esse narrat.

Ea, quae paulo ante de nimia Velleii exsuperatione dixi, etiam in primae Tiberii expeditionis Germanicae descriptionem cadunt, cuius moles translata est ad eum Druso fratre defuncto (cf. II. 97, 4). Qua in examinanda, quum negari non possit, Tiberium fuisse egregium ducem, illa, quae de virtute et fortuna eius affert scriptor, aliquo modo licet excusentur. Admodum vero in dubitationem est vocandum, utrum res a Tiberio gestae tanta laude, quanta scriptor eas prosequitur, fuerint dignae, necne. Nemo enim alius de magnis, quos priore belli anno Tiberius fecerit progressus, facit mentionem et altero nihil memorabile esse actum, testis est Dio (cf. Dio 55, 8). Quare pro certo tantum affirmandum esse puto, Romanorum ducem Rhenum transgressum (cf. Dio. 55, 6) nonnullas in Germaniam fecisse incursiones, quibus coactae se recepisse videntur eius gentes in regiones saltuosas. Sed ne hoc quidem sola Tiberii virtute imperatoria effectum esse clarissime patet ex eo, quod iam antea Germanorum vires Drusi expeditionibus erant debilitatae. Accedit ut eorum gentes principibus orbatae, quos Augustus legatos ad se missos comprehendi iusserat, acie cum Romanis confligere non auderent. Attamen belli eventum omnino non tantum fuisse, ut Germania in stipendiariae provinciae formam

esset redacta, ex iis, quae postea acciderunt, satis superque conspicitur. In his igitur rebus enarrandis nimia adulatione Velleius est versatus. Cuius criminis etiam hac de causa Hoeckius eum accusat (cf. II, 32), quod triumphum, quo bello finito Tiberius ab Augusto honoratus est, alterum fuisse dicit. Sed iniuria opinor. Nam ovatio, si non iustus erat triumphus, certe triumphus erat (cf. Pernices 45; Wolfius ad Suet. Tib. 9 p. 250). Praecipue vero summis celebrantur laudibus, quae gessit Tiberius altera contra Germanos expeditione. Qua in exponenda, quum omnes afferre longum sit, summas tantummodo res hoc loco attingam. Velleius igitur, postquam eo tempore sibi contigisse tradidit, ut per annos continuos novem coelestissimorum Tiberii operum spectator et pro captu mediocritatis adiutor fuisset, primum facit mentionem amplissimis verbis de alacritate, qua ducem recentem ex adoptione missum ad summam imperii obtinendam milites receperint (cf. II. 104, 3. 4. 5). Paulo deinde copiosius versatur in rebus ipsis Tiberii describendis, quem aliis gentibus Romanis subiectis aliis devictis ita meritum esse de re publica dicit, ut libris vix enumerari possit, quippe quum tota Germania armis perlustrata usque ad Albim flumen progressus sit, quo nunquam antea perduxerit exercitum Romanorum imperator (cf. II. 105 et 106). Ac denique narratiuncula de sene quodam Germanico inserta omnium gentium locorumque, quae adiisset, victorem Tiberium legiones in hiberna reduxisse narrat neque quidquam fuisse in Germania, quod potuisset vinci praeter Marcomannos (cf. II. 107 et 108, 1). Quam descriptionem, si cum iis, quae alii rerum scriptores de hac expeditione narrant, comparatur, partim esse veram partim ex adulandi studio in falsum detortum auctam, nemo non intelliget. Etenim ut taceam de militum laetitia, quam non magnam aut prorsus non fuisse iam supra expositum est, non potest negari, Tiberium se praestitisse egregium ducem eundemque strenuum bellatorem. Nam re vera permultum in Germaniae viribus frangendis profecit ac plus quam antea dux in eo elaboravit, ut redigeret eam

sub Romanorum potestatem. Quae res quam sit vera, non solum ex ea re patet, quod omnium primus in hostium terra castra hiberna collocavit, sed etiam comprobari potest Strabonis testimonio, qui Marsos suis sedibus emigrantes in regiones ad orientem vergentes se recipere coactos esse commemorat (cf. Strab. VII, p. 290). Neque leve virtutis imperatoriae edidit Tiberius specimen, quum per medios hostes usque ad Albim exercitum duceret (cf. Plin. nat, H. II, 67. Monum. Ancyr. ed. Chisch. p. 175). Dio quidem nihil magnopere memorandum ea expeditione actum esse dicit, quam sententiam amplexus Hoeckius nil omnino profectum esse concludit (cf Hoeck. II, 69). Sed quum ex Tiberii consuetudine esset, non magnas splendidasque cum Germanis conserere pugnas, sed copiarum numero hostes opprimere militibusque, quantum fieri posset, parcere, non est dubitandum, quin feliciter res gesserit. Quare in commentum accipiatur necesse non est, quod incolumi inviolatoque exercitu Tiberium in hiberna rediisse scriptor narrat. Nequaquam tamen adeo Germaniae vires esse fractas, ut nihil in ea fuisset, quod potuisset vinci, facile agnosces, si reputaveris, quomodo paulo post Germani iugum imperii Romani tum impositum excusserint. Hoc igitur ex adulatione ortum est. Eodem spectat, quod legimus de coelestissimis Tiberii operibus, item quod hisce verbis Velleius refert: „Pro dii boni quanti voluminis opera insequenti aestate sub duce Tiberio Caesare gessimus“. Tiberium porro primum ad Albim esse progressum non solum adulatorie sed etiam falso a scriptore traditum est, propterea quod iam Drusus ad ripam huius fluminis tropaeum exstruxerat. Contra narrationem illam de sene Germanico in dubium esse vocandum mihi non persuadeo, quamquam nimis exornata esse videtur oratoriis calamistris. Simili vel maiore laude Tiberii virtutes ad coelum effert Velleius in bello exponendo, quod brevi post Romani contra Pannonios Delmatasque gesserunt. Etenim quum expeditione Germanica finita Tiberius copias pararet ad adoriendum Maroboduum, qui rex condiderat magnum in Boiohoemo

regnum, neque plus quinque dierum iter ab hostium finibus abesset, nuntius est allatus, Pannoniae gentes denuo a Romanis defecisse easque cum Delmatis conjunctas movisse arma. Itaque necessaria splendidis praeferens Tiberius cum Maroboduo pacem iniit (cf. Tac. an. II, 26) et rebellantibus bellum inferre constituit.

Quod quam grave fuerit atque in quantum discrimen ea seditione Italia sit perducta, maxime perspicue elucet ex Augusti verbis, quibus usus est in senatu, quum diceret, decimo die, ni caveretur, posse hostem in urbis Romae venire conspectum. Idem fere commemorant de hoc bello Suetonius et Dio Cassius, quorum prior (cf. Suet. Tib. 16) omnium externorum bellorum post Punica hoc fuisse gravissimum dicit, alter tradit (cf. Dio. 55, 30) ipsum Tiberium metuisse, ne in Italiam quoque hostes irruerent. Accedit ut Pannonii Delmataeque non solum fortitudine excellerent, sed etiam rei militaris essent peritissimi, qua arte legionibus, quibus coniuncti per multos annos bella gesserant, vix cedebant. Quare omnino non dubium esse potest, quin Tiberius oppressa hac seditione optime de re publica sit promeritus dignissimusque fuerit triumpho, quo Augustus honoravit Romam reversum. Neque tamen etiam in hac expeditione describenda Velleium omni adulatione se abstinuisse, quum aliis ex rebus clare perspicitur tum eo, quod etiam res exiguas ac nulla commemoratione dignas immoderatis celebrat laudibus, ne Tiberii virtutes praedicandi occasio omittatur. Ac primum in rebellionis causa enarranda scriptor certe invenitur mendax. Nam falsum esse, quod tradit, insolentes longae pacis bonis Pannonios contra Romanos arma corripuisse, testis est Dio, qui pecuniarum exactiones aegre ferentes rebellasse eas gentes commemorat (cf. Dio 55, 9). Idem haud dubie cognosci potest ex verbis, quae Tiberio causam seditionis quaerenti respondit Bato, dux hostium: „Vos, inquit, in culpa estis ipsi, qui ad vestros greges custodiendos non canes pastoresve, sed lupos mittitis“ (cf. Dio. 55, 33 et 56, 16). Etiam quae scriptor refert, omnia

frustra ad bellum praeparata esse, nisi, qui illa regeret, fuisset, ex adulatorio ore fluxisse facile intelligitur, etsi omnium illius aetatis ducum Romanorum Tiberius fortasse erat maxime egregius. Quod idem ex hoc loco assentationis tam pleno, ut ad exclamationis formam Velleius descendat, sine controversia apparere videtur: „In quaestura deinde remissa sorte provinciae legatus eiusdem ad eundem missus, quas nos primo anno acies hostium vidimus! Quantis prudentia ducis opportunitatibus furentis eorum viris universas evasimus, fudimus partibus! quanto cum temperamento simul utilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus! qua prudentia hiberna disposita sunt! quanto opere inclusus custodiis nostris exercitus, ne qua posset erumpere, inopsque copiarum et intra se furens viribus hostis elanguesceret"! (cf. 111, 3). In eo porro adulatio quaedam posita est, quod scriptor Tiberium, quem antea in bello tantum ducem, quantum in pace principem nominavit, summis effert laudibus, quod utilia gloriosis anteponens et eorum, quae agenda erant, ipse optimus iudex magnas, quas in unum locum coegerat copias, postquam intellexit eas esse maiores, quam ut regerentur, dimittere statuit et nullo detrimento accepto in hiberna disposuit. Quantopere autem omnia, quae pertinent ad Tiberium, eaeque res pusillae in maius augeantur, scilicet, ut amplificetur gloria principis, clarissime ex verbis illis patet, quibus Tiberii diligentiam et curam in milites scriptor explicat. De Germanico contra, quem hoc bello haud spernendae virtutis specimina edidisse scimus, non suo loco commemorat, sed postea demum eum strictim attingit. Qua in re, quamquam Dioni, qui Germanicum ad exercitum missum esse dicit, ne bellum duceret Tiberius, assentiendum esse mihi non persuadeo, Velleius effugere non potest vituperationem, quia Tiberii tantummodo laudes celebrans omnia negligit silentio, quae ad illum non spectant. Omnes vero laudandi fines iis locis Velleius excedit, qui agunt de tertia Tiberii contra Germanos expeditione. Bellum enim Pannonicum excepit

clades Variana, qua res Romanae maxime sunt afflictae. Itaque statim in Germaniam missus est Tiberius, ne finibus sine praesidiis relictis hostes in Galliam invaderent. In rebus describendis eo tempore a Tiberio gestis scriptor ita versatur, ut omnino non dubium esse videatur, quin gravissimis cladibus affecti Germani defectionis poenas luerint. Haec enim verba in libro eius legimus: „Arma infert, quae arcuisse pater et patria contenti erant; penetrat interius, aperit limites, vastat agros, urit domos, fundit obvios, maximaque cum gloria incolumi omnium, quos transduxerat, numero in hiberna revertitur. Eodem virtus et fortuna subsequenti tempore ingressi Germaniam imperatoris Tiberi fuit, quae initio fuerat“ (cf. 121, 2 et 3). Quibus in persequendis Tiberium vituperationem ea de causa subire, quod nullas conseruit splendidas pugnas et summa usus diligentia imperii finibus tuendis se continuit, non censeo. Neque tamen magnam gloriam et merita, de quibus commemorat Velleius, comparavisse eum testis est Dio, cuius narrationem a Velleiana dissentire iam primo aspectu potest perncsci. Velleius enim dicit, limitibus apertis Tiberium interius penetrasse, Dio non longe a Rheno eum progressum esse; ille cum hostibus acie conflixisse Tiberium, eosque superatos esse, hic nullo proelio esse victos Germanos, quum nemo manum conseruisset (cf. Dio. 56, 25). Apparet igitur neque in hac expeditione enarranda neque in illis, quae antea explicata sunt, servasse Velleium historiae fidem. Quin potius pro certo affirmandum est, adulandi et gratiae sequendae studio res ab eo in maius esse auctas.

Jam mihi examinandum est, quoad Tiberius sit dignus illa laude, qua muneribus publicis fungentem Velleius prosequitur. Non quidem adeo est multus in hac re laudanda, qualis invenitur in bellis enarrandis. Nihilominus vero magnam navavit operam, ut etiam principis virtutes civiles quoquo modo amplificarentur. Ac primum modicum eius, quod annonae succurrendo sibi comparavit, meritum amplissimis celebrat laudibus. Legimus enim in scriptoris libro, Tiberium annos undeviginti natum

tam feliciter rei frumentariae inopiam sublevasse, ut nemo non intellexisset, quantus esset evasurus (cf. 94, 1). Quod plane esse fictum equidem non censeo, quum Tiberium non minus belli quam pacis artibus fuisse insignem constet atque etiam non dissentiat de re ipsa Suetonius, qui refert: „Interque haec duplicem curam administravit annonae, quae arctior inciderat" (cf. Suet. Tib. 8). Attamen in Velleianis verbis quoddam esse adulandi studium utriusque scriptoris comparata narratione facile in aperto est.

Aliquid simile Velleio accidit in consulatu et in potestate tribunicia commemorandis, de quibus muneribus hoc loco non esset disserendum, nisi assentationes adiecisset. Haec enim sunt eius verba: „civium post unum, et hoc, quia volebat, eminentissimus" (cf. II. 99, 1). Quae ex adulatoris lingua effluxisse non solum per se comprobatur, sed etiam ea re, quod Augusti tantummodo beneficio Tiberius illis honoribus ornatus est.

De reliquis muneribus, quae ante Augusti obitum Tiberius sustinuit, nil scriptor narrat excepto tribunatu, qua dignitate Rhodo reversum iterum Caesar privignum honoravit (cf. 103, 2). In ea vero et in adoptione, quae tum est secuta, enarrandis tot tantisque versatur laudibus, ut adulationis crimine omnino non sit liberandus. Sed alio loco de hac re paulo uberius est disputandum. Neque tamen omittam, quod tradit Velleius: „Accipe nunc, M. Vinici, tantum in bello ducem, quantum in pace vides principem" (cf. 113, 1). Nam ob haec verba, quamquam pro vanis accipiantur necesse non est, propterea quod Tiberius re vera egregiae administrationis edidit specimina, Velleium omnia in principis gloria vertentem magnam subire vituperationem in promptu est.

Quod idem pertinet ad descriptionem Tiberiani principatus, de quo uberius Velleius agit quam de muneribus ante Augusti mortem administratis. Etenim si nimius est in celebrandis imperatoris meritis atque adeo impense eum adulatur, ut recte narratio nominanda sit panegyricus, tamen in rebus ipsis affe-

rendis adulteratae fidei aut minime aut omnino non est inculpandus. Tacitus quidem eiusque asseclae, ut Suetonius et Dio Cassius, quos nimis tristibus coloribus Tiberii imaginem expressisse quidam viri docti haud iniuria censent, et ipsa egregia huius imperatoris facta partim ex simulatione partim ex studio gratiae apud populum captandae effluxisse contendunt. Nihilominus vero multa de re publica sibi comparavisse Tiberium merita, ii quoque scriptores concedunt, qui eius partibus haudquaquam favent. Quare, quod narrat Velleius de praeclara rei publicae sub Tiberio conditione, a vero non prorsus abhorrere facile argumentis confirmari potest. Optime enim compressa theatrali seditione, qua iniecerunt saepissime histriones civitati tumultum, imperatorem esse meritum, etiam Tacitus (cf. an. I. 34. 76. 77. IV, 14), Dio (cf. 57, 11), Suetonius (cf. Tib. 34. 47) testimoniis faciunt planum. Idem spectat ad religionem veritatemque iudiciorum, cuius diligentissimum fuisse imperatorem et Velleius et alii rerum scriptores recte collaudant. Ita Tacitus, cui assentitur Suetonius (cf. Tib. 33), criminibus laesae maiestatis exceptis leges bene esse exercitas saepe in annalibus tradit (cf. Tac. an. I, 75. IV, 6 et 7). Multum porro operae dedit Tiberius, ut mores emendarentur, eaque de causa compluribus usus est consiliis, quibus obsisteretur libidinibus atque intemperantiae. Qua in re, quum Tacitus (cf. an. II, 85) et Suetonius (cf. Tib. 33. 35. 54) idem fere referant, Velleius vanitatis non est accusandus, qui verbis dicit hisce: „Virtutes honorantur, vitia puniuntur.“ Neque in iis, quae legimus de fide in forum revocata, de seditione e foro summota, scriptor invenitur mendax. Rem quoque frumentariam annonamque a Tiberio moderatam in Velleiano libro non immerito esse laudatas Taciti auctoritate potest comprobari (cf. an. III, 6. IV, 13. II, 87). Praecipue vero provinciarum statum sub Tiberii principatu fuisse egregium et Velleius et alii historici Tacitus (cf. an. I, 80. IV, 6), Suetonius (cf. Tib. 32), Dio (cf. 57, 10) sunt testes. Etiam id, quod Velleius tradit: „honor dignis paratissimus, poena in

malos sera sed aliqua; superatur aequitate gratia, ambitio virtute," non est pro ficto accipiendum, propterea quod nullam habuit Tiberius rationem veterum ac patriciarum familiarum in viris, qui muneribus publicis fungerentur, eligendis (cf. Tac. an. III, 48). Suetonius quidem aliis de causis imperatorem quosdam honoribus ornavisse narrat (cf Tib. 42). Sed ut taceam de eo, quod his verbis iam per se comprobatur, leve tantum iis adtribuendum esse momentum, quum scriptor Taciti auctoritatem secutus et nimis tristibus coloribus Tiberii expresserit imaginem et minime accurate in rebus diiudicandis sit versatus. Itaque ne ea quidem, quae invenimus de ambitione campo, discordia curia summotis enarrata prorsus refellere mihi est in animo, quamquam alii sunt testes, qui omnem libertatem a Tiberio eversam esse affirmant. Iis vero, quae de prudentia et vi, quibus princeps in Cotyem et Maroboduum usus est, narrat scriptor, assentiendum esse, facile concedes, si memineris, qua prudentia ac diligentia oppresserit imperator Seiani conatus. Etiam sine ulla trepidatione exercitus delectus esse provisos, clarissime ea re percipi potest. quod nulla seditio militum excepta illa sub imperii initiis postea est orta.

In principatu igitur describendo minime fallax Velleius invenitur. Nihilominus vero adulationis crimine absolvi non potest, quum tam amplis laudibus Tiberium eiusque merita efferat, ut praebeat speciem, ac si imperii status sub Augusto, quamquam eum quoque magnopere antea celebravit, fuisset miserrimus, a Tiberio contra aurea quae vocatur aetas hominibus esset reddita.

Restat, ut de illis locis, qui ad Tiberii mores pertinent, paulo uberius agamus. In iis enim celebrandis tam magnificis scriptor versatur laudibus, ut primo obtutu omnino non dubium esse possit, quin Velleius adulator fuerit humilis atque vir, cui fides habeatur, indignissimus.

Huc spectant, quae legimus de magna Tiberii erga affines pietate, qua commotus Rhodum secesserit, scilicet ne fulgor suus

Gaio et Lucio Caesaribus obstaret (cf. II. 99, 1). Quibus in explicandis, ut taceam de immodica laude, qua Velleius hoc loco Tiberium prosequitur, veram ac propriam discessus causam non esse allatam facile apparet. Non quidem ignoro, reliquos quoque scriptores de hac re dissentire atque alium aliam eius reddere causam. Tacitus enim ob Iuliae uxoris infamiam Tiberium Romae relinquendae consilium cepisse narrat (cf. Tac. an. I, 53). Suetonius contra non solum de illis, quae Velleius et Tacitus referunt, facit mentionem, sed etiam eam ob rem Tiberium e civium conspectu abiise scribit, ut vitato adsiduitatis fastidio auctoritatem suam absentia tueretur et quam maximo sui desiderio tenerentur cives (cf. Tib. 10). Dio vero in historia Romana (cf. 55, 9) dicit, Gaii et Lucii iram ac potentiam, qua utebantur apud Augustum, veritum Tiberium se contulisse Rhodum. Quare quum ne inter aequales quidem idem constet, Velleii narratio scriptorum, qui de hac re tradiderunt, testimonio non potest refelli. Attamen non ea de causa Tiberium Romam reliquisse, ne privignis suis, quominus consequerentur imperium, impedimento esset, iam ea re intelligendum est, quod se abstinuit omni cibo, quum Augustus recusavisset potestatem decedendi. Nam absurdum est, tanto amore erga eos flagrasse Tiberium, quos ei inimicos fuisse constat, ut mortem sibi inferre maluerit quam Romae remanere. Idem clarissime patet ex ea re, quod adeo Augusti animus privigno est alienatus, ut nullis precibus commotus in urbem redeundi veniam daret. Etenim si ita res se habuisset, ut Velleius refert, certe Augustus non dubitavisset obsequi petenti. Accedit quod illo tempore, quo Rhodo revertendi facultatem oravit, Tiberius non minus quam quinque annis ante obstaret Gaio et Lucio Caesaribus. In causa igitur eius secessus describenda Velleium a fide historica abhorrere sine dubio elucet. Praecipue vero vituperandum est, quod refert scriptor de digredientium a Tiberio dolore et lacrimis, item quod legimus de Tiberiano Rhodi otio, quo usus sit tam honorifico, ut proconsules legatique visendi eius gratia ad eum

convenientes fasces suos summisisse (cf. 99, 2 et 3). Quamquam enim Tiberium non omnibus caruisse constat honoribus (cf Tac. an. II, 42. Suet. Tib. 12), tamen dubitari non potest, quin Velleius excesserit modum. Quae res quam vera sit, vel eo intelligitur, quod exsulis nomine eo tempore Tiberius notabatur, cuius per contemptum evertebant Nemausenses imagines statuasque. Eodem spectant Suetonii verba, quibus refert, in convivio apud C. Caesarem aliquem esse pollicitum, fore ut confestim, si iuberetur, Rhodum navigaret exsulisque caput referret. Neque ea re ignorari potest, quantopere Tiberii gloria secessu illo minuta sit, quam de Archelao narrant Tacitus (cf. an. II, 42) et Dio (cf. 57, 17). Fuisse, apud eos legimus, hunc regem Tiberio invisum, quod quamvis non per superbiam sed ab intimis Augusti monitus nullis eum Rhodi agentem honoribus affecisset. Ab omni vero fide abhorrent, quae alio loco (cf. II, 101, 1) hisce verbis tradit Velleius: „Breve ab hoc intercesserat spatium, cum C. Caesar ante aliis provinciis ad visendum obitis in Syriam missus, convento prius Ti. Nerone, cui omnem honorem ut superiori habuit.“ Nam Tiberium, quum ad privignum visendum Samum se contulisset, non bene a Gaio esse exceptum multis testimoniis sine dubio in promptu est (cf. Tac. an. III, 48. Suet. Tib. 12. Dio. 55, 11). Itaque quum res ita se habeant, Velleium gratiae quaerendae studio nimis Tiberii pietatem et auctoritatem, qua Rhodi usus sit, praedicasse mea sententia non est negandum.

Simili ratione Tiberii modestia, qua, quominus in imperium adoptetur, recusaverit, a scriptore effertur. Haec fere sunt eius verba. Gaio et Lucio mortuis Augustus, id quod iam antea facere voluerat, privignum suum, quamvis ille, ne fieret, magnopere resisteret, et tribuniciae potestatis consortem et successorem magna cum laetitia populi nominavit (cf. II. 103, 2. 3. 4). Qua in re omnium primum illud impugnandum esse censeo, quod iam ante Gaii mortem Augustum Tiberium adoptare voluisse scriptor narrat. Constat enim, Augustum illo tempore a privigno fuisse aversissimum neque Rhodo secedendi veniam de-

disse, priusquam Gaius hoc fieri assensus esset (cf. Suet. Tib. 13). Accedit quod sola conditione revocatus est Tiberius, ut muneribus publicis prorsus se abstineret (cf. Suet. Tib. 13). Utrum deinde Liviae filius tribuniciam potestatem et adoptionem tam multum in senatu ac domi, quod Velleius refert, renuerit necne, aliis testimoniis neque refelli neque comprobari potest. Attamen non dubium esse videtur, quin etiam in hac re Tiberius non minus simulatorem egerit, quam sub initiis sui principatus in senatu (cf. Tac. an. I. 11, 12, 13. Suet. Tib. 24). Itaque Velleius, quem hominem emendati ingenii hoc non ignoravisse censeo, certe adulationis crimine est accusandus. Quod denique ad laetitiam pertinet, qua Velleio auctore populus adoptionem prosecutus sit, nescio scriptorne magis adulatorius inveniatur an mendax. Verba enim, quibus de civium studio erga Tiberium refert, assentationis esse plena iam in legendo facile cognoscitur. Atque etiam a fide historiae scriptoris narrationem abhorrere, Taciti et Dionis auctoritate comprobari potest. quorum prior in annalibus tradit (cf. Tac. an. I, 4), multum fuisse inter cives sermonem de vetere atque insita Claudiae familiae superbia et de indiciis Tiberii saevitiae, quae quamvis oppressa erumperet nonnunquam, alter refert, ea quoque de causa imperium inire dubitavisse principem, quod hominum animos a se alienos vidisset (cf. Dio. 57, 3).

Idem fere quadrat in locum, quo hisce verbis Velleius de Tiberii pietate commemorat: „Pietas sua Caesarem paene obstructis hieme Alpibus in urbem traxit“ (cf. II. 105, 3). Etenim non magnam aut omnino non fuisse in Tiberio hanc virtutem testis est Dio (cf. Dio 55, 27). Quodsi eum auctorem sequimur, non est dubium, quin Tiberius sui commodi causa, ne sibi absenti alium Augustus praeferret, neque pietate ductus, ut Augustum patrem reviseret, molestum illud iter susceperit. Quae verba, quamquam egregias et belli et pacis Tiberianas virtutes magni duxisse Augustum constat (cf. Suet. Tib. 21), addubitanda esse mihi non persuadeo, propterea quod ex aliis quoque testi-

moniis elucet, a pietate fuisse alienum Tiberii animum neque Augustum naturam moresque eius, quantopere fuerint perversa, ignoravisse. Huc spectant, quae narrat scriptor idem, saepe Tiberium illud Euripidis recitavisse: „Deflagret omnis terra memet mortuo“. Nam hominem eo animo indutum. ut sui tantum commodi rationem haberet et reliqua prae se negligeret, a pietatis virtute fuisse alienissimum, ad evidentiam patet. Aliquid simile cadere videtur in illam Augusti vocem: „Miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit (cf. Suet. Tib. 21)“. Quamquam enim nolo pertinaciter insistere in hoc argumento, quum facile rumor comprobetur, tamen colligi potest ex eo, non nesciise Romanos, quod fuisset verum Augusti de privigno iudicium. Neque solum provecta aetate Tiberium fuisse immiti atque tristi ingenio, sed iam puerum se exhibuisse talem, qualis postea est cognitus, percipitur ex verbis illis, quae legimus apud Suetonium: „Saeva ac lenta natura (Tiberii) ne in puero quidem latuit, quam Theodorus Gadareus rhetoricae praceptor, et perspexisse primus sagaciter, et assimulasse aptissime visus est, subinde in obiurgando apellans eum, πηλὸν αἵματι πεφυραμένον.“ Quae quum ita sint Velleius, quem Tiberii ingenium perspexisse haud negari potest, certe in eius pietate laudanda adulatorie est versatus.

Aperte quoque scriptor adulatur in loco, qui celebrat Tiberii moderationem in eo positam, quod, quum sine ulla dubitatione septem triumphos meritus sit, tribus fuerit contentus (cf. II. 122). Nam ut silentio praeteream, quae explicata sunt antea de Tiberii virtute bellica et rebus gestis, iam ea re falsa esse haec verba intelligitur, quod non erat Tiberii constituere, quoties triumpharet, sed Augusti. Adde quod Taciti testimonio (cf. Tac. an. III. 47) arrogantiae potius imperator est incusandus neque dubitabis, quin adulandi studio eius merita a Velleio nimis sint amplificata.

Ex eodem assentandi studio fluxit etiam narratio illa, quae gait de supremo Augusti die atque de colloquio, quod ille haud

multum ante mortem cum privigno habuit (cf. Vel. II. 123). Nolo hoc loco in dubium vocare, Tiberiusne ante mortem vitrici advenerit atque cum eo varia de imperii statu disseruerit, quippe quum non idem constet de hac re inter scriptores Dio enim, quamquam illud, quod Velleius refert, Tiberium adfuisse aegrotanti Augusto ab eoque mandata quaedam accepisse, non omittit, maxime tamen verisimile esse dicit, Augusto demum mortuo privignum advenisse Nolam (cf. Dio 56, 31). Aliquid simile ex Taciti verbis potest colligi. Nam postquam commemoravit, non esse satis compertum, Tiberius spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem repererit, alio loco de supremis Augusti sermonibus mentionem facit, ex quibus apparere videtur, re vera Tiberium ante mortem advenisse (cf. Tac. an. I, 5. I, 13 Suet. Aug. 98). Suetonius vero, qui Tiberium et vivum reperisse Augustum et per totum diem una cum eo fuisse narrat, de hac re cum Velleio consentit (cf. Suet. Tib. 21) Contra quod Velleius affert de Augusti caritate erga Tiberium, etsi magni duxisse Caesarem privigni sui virtutes bellicas ac civiles constat (cf. Suet. Tib. 21), magnopere in dubio est ponendum. Quae res quam vera sit, ex Taciti patet verbis, quibus refert: „Ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem adscitum; sed quoniam adrogantiam saevitiamque eius introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse (cf. Tac. an. I, 10).“ Huc porro spectant, quae legimus in eiusdem scriptoris annalibus de Augusti Germanicum rei Romanae imponendi consilio, quod precibus tantummodo uxoris commotus ita mutaverit, ut Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adsciverit (cf. Tac. an. IV, 57). Idem fere Dio comprobare videtur, qui ea de causa Augustum Liviae filium adoptatum sibi successorem destinasse scribit, quo magis sui desiderio Romani tenerentur itaque ipse maiore gloria in posterum floreret (cf. Dio 56, 45). Neque ex Suetonii narratione ignorari potest, non pietate sed aliis deliberationibus ductum constituisse Augustum, ut Tiberius sibi in regno succederet (cf. Suet. Tib. 21). Claris-

sime vero, qui fuerit Augusti in privignum animus, ex verbis, quae scriptor idem commemorat, colligi potest: „At illa (Livia) commota veteres quosdam ad se Augusti codicillos de acerbitate et intolerantia morum eius e sacrario protulit atque recitavit. Hos, et custoditos tamdiu, et exprobratos tam infeste, adeo graviter tulit, ut quidam putent, inter causas secessus hanc ei vel praecipuam fuisse“ Quibus testimoniis quum accedant, quae antea de Tiberii pietate narrata sunt, non dubium esse potest, quin Velleius falso retulerit de Augusti amore et laetitia, qua affectus fuerit, quum circumfusus amplexibus Tiberii sui et conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus subrefectus animam coelestem efflaret. Sin vero quis quaerit, cur Augustus, quem Tiberii ingenium non ignoravisse constat, hunc potissimum sibi successorem destinaverit, facile in promptu est, non solum precibus Liviae adductum hoc fecisse, sed etiam eam ob rem, quod Caio et Lucio Caesaribus itemque Druso mortuis praeter Tiberium nemo esset. qui teneret imperium. Simili laude, qua antea Tiberii modestia ac moderatio in adoptione renuenda a Velleio celebrata sunt, easdem virtutes effert scriptor in loco, qui agit de Tiberiani principatus initiis. Haec enim sunt eius verba: „Una tamen veluti luctatio civitatis fuit, pugnantis cum Caesare senatus populique Romani, ut stationi paternae succederet, illius, ut potius aequalem civem quam eminentem liceret agere principem; tandem magis ratione quam honore victus est, cum quicquid tuendum non suscepisset, perituram videret, solique huic contigit paene diutius recusare principatum, quam ut occuparent eum, alii armis pugnaverant (cf. 124, 2).“ Quibus in exquirendis, si ea, quae tradiderunt alii scriptores de hac re, paulo diligentius perlegimus, non dubium esse potest, quin et adulatorie et falso Velleius imperatoris laudes celebravit. Ut omittam, quae de primo senatu Tacitus commemorat (cf. Tac. an. I. 11, 12, 13), iam perspicue apparet ea re, Tiberium omnino non cunctatum esse, occupare imperium, quod, quamquam summam rerum se aspernari simulabat, et milites se in forum atque in curiam co-

mitari iussit, et literas misit ad exercitus tamquam principatu inito (cf. Tac. an. I, 7). Etiam Suetonii testimonio confirmatur haec res, qui Tiberium, quamvis principatum neque occupare confestim, neque agere dubitasset, diu tamen impudentissimo mimo eum recusavisse narrat (cf. Suet. Tib. 24). Aliquid simile invenimus apud Dionem (cf. Dio. 57, 2), cui assentiuntur Tacitus (cf. Tac. an. I, 11, 12, 13) et Suetonius (cf. Suet. Tib. 24), de iis, quae animo volvit princeps et quae palam dixit in senatu. Quamquam enim a patribus petiverat, ut pars rei publicae sibi mandaretur, quum non par esset summae rerum, magna tamen ira commotus est in Asinium Gallum, qui, quam partem sibi mandari vellet, interrogasset. Item Q. Haterius et Mam. Scaurus magnopere Tiberium offenderunt, quum ad sensum opinionemque eius penetrare viderentur. Est igitur pro certo affirmandum, Velleium, qui ea de causa Tiberium renuisse imperium scribit, quod maluisset aequalem civem quam principem agere, a fide historica, qua nihil scriptori sanctius esse debet, prorsus abhorrere. Contra in iis, quae de Tiberii liberalitate scriptor refert (cf. 130, 1. 2), vitiatae fidei non est inculpandus, quum alii quoque historici non dissideant ab eo. Etenim si Tacitum auctorem sequimur, non dubium est, quin Tiberius magnifica semper in publicum largitione usus sit libenterque ut prodigos et ob flagitia egentes poena affecerit ita honestam innocentium paupertatem levaverit (cf. Tac. an. II, 48). Magna quadam, ut exemplum afferam, urbis parte incendio devastata imperator tribuendis pecuniis inopiae publicae obstitit (cf. Tac. an. IV, 64. Suet. Tib. 48. Dio. 58, 26). Similem vel maiorem liberalitatem Tiberius praestitit, quum duodecim Asiae urbes nocturno terrae motu collapsae essent (cf. Tac. an. II, 47. Plin. N. H II, 81). Multos quoque senatores atque equites, qui nulla propria culpa in egestate erant, libentissime auxit pecunia, ut pro dignitate sua vivere possent (cf. Tac. an. II, 37. Suet. Tib. 47. Dio. 57, 10). Quae quum ita se habeant, neque de hac imperatoris virtute neque de Velleii fide potest dubitari. Aliud vero statuen-

dum est de loco, quo hisce verbis Velleius magna Tiberii opera praedicat: „Quam pia munificentia superque humanam evecta fide templum patri molitur? Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeii munera absumpta igni restituit? Qui quod unquam claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum." Quibus in perscrutandis Velleii adulatorium ingenium haud difficile cognoscitur. Etenim ad Augusti aedificia, quae silentio a scriptore negliguntur, opera illa a Tiberio aedificata omnino non fuisse digna commemoratione, testis est Suetonius, qui urbem latericiam acceptam ab Augusto relictam esse marmoream in libro suo narrat. Tiberius contra ne publice quidem nisi duo opera exstruxit, templum Augusti et scenam Pompeiani theatri (cf. Tac. an. VI. 45). Idcirco etiam in hac re commemoranda Velleius, qui tam magnificis Tiberii opera laudibus extollit, ut descendat ad exclamationis formam, neque ab adulationis neque vitiatae fidei crimine est liberandus.

In maximam vero idem cadere videtur vituperationem, quod et flagitiosa illa facta, quae vulgo Tiberio cimini tribuuntur, non solum celat sed etiam in laudem eius vertere studet. Huc spectant, quae legimus de Agrippae Postumi caede, quam ita describit Velleius, ut in eam opinionem rem adducere videatur, iam Augusto vivo eiusque iussu Agrippam morte esse affectum. Attamen sub Tiberiani principatus initiis Agrippa interemtus est (cf. Tac. an. I, 6. Suet. Tib 22. Dio. 57, 3). Neque id mihi persuadeo, Augusto iubente, quamquam dubium fuisse Suetonius tradit (cf. Tib. 22), Augustusne moriens codicillos, quibus, ut interficeretur Agrippa, imperatum est, reliquisset, hoc factum esse, quippe quum constet, in neminem suorum tam crudeliter consuluisse hunc imperatorem, ut capitis poena eum multaret (cf. Tac. an. I, 6). Etiam incredibile est, pro privigni securitate nepotem ab avo esse supplicio affectum. Restat igitur, ut culpam huius criminis aut in Tiberium aut in Liviam, eius matrem, conferamus. Tribunum enim perpetravisse illam caedem sua sponte, neque verisimile est neque consentit cum aliorum

testimonio. Utrum vero Tiberius an Livia tribuno imperaverit, ut Agrippa e medio tolleretur, non satis in aperto est. Tacitus quidem omnem culpam in Tiberium ac Liviam derivat (cf. an. I, 6), Dio contra plane affirmat, a Tiberio caedem Agrippae esse mandatam (cf. Dio. 57, 3). Quibus cum Suetonius dissentit his verbis de eadem re tradens: „Hunc tribunus militum custos adpositus occidit, lectis codicillis, quibus, ut id faceret, iubebatur. Quos codicillos dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset, quo materiam tumultus post se subduceret, an nomine Augusti Livia, et ea, conscio Tiberio, an ignaro, dictasset (cf. Suet. Tib. 22))." Quare scriptorum testimonio neque imperatoris culpa neque eius innocentia demonstrari potest. Nihilominus autem crimine Tiberius non plane liberandus esse videtur, propterea quod solus commodum ex caede percepit et postea silentio rem obliteravit, scilicet ne inquisitione invidiam civium moveret.

Aliud vero statuendum est de locis illis, qui ad Tiberii erga Germanicum studium pertinent. Quamquam enim multum adulationis in iis est positum, non tamen vitiatae fidei Velleium accusandum esse censeo. Siquidem aliorum verba in comparationem vocamus, non dubitare possumus, quin huius quoque criminis scriptor sit compertus. Ita refert Tacitus de Tiberii invidia et odio adversus Germanicum, quibus commotus revocatum ex Germania ad res ordinandas in orientem miserit (cf. Tac. an. II, 5 et 26). Sed quis non intelligit, ea de causa fortasse hoc factum esse, ut inutiles illae expeditiones contra Germanos finirentur, praesertim quum aliis locis constet, magnis honoribus Germanicum a patruo esse ornatum (cf. Tac. an. II, 5 et 42). At, inquiunt, cur Cretico Silano Syria demoto Cn. Piso huic provinciae est praepositus? Audio, res est digna, de qua diligentius agamus. Nam quum ille Germanico esset affinitate coniunctus, hic et natura ingenioque insolens et Germanico infestissimus, quem Drusi filio insidias paraturum esse verisimile erat, facile fieri potest, ut Tiberium conscium habeamus criminis

patrati. Accedit quod Piso eo audaciae et contumaciae certe non processisse videtur, nisi sibi persuasum fuisset, se ad Germanici spes coercendas delectum esse, qui Syriae imponeretur (cf. Tac. an. II, 43. III, 15). Neque tamen arbitror tanti momenti esse has res, ut Tiberium participem fuisse criminis in Germanicum commissi pro certo affirmari liceat, quum ea, quae modo explicata sunt, tam in casu posita esse quam consulto evenisse possint. Idem elucet ex supremis Germanici verbis, quibus oravit amicos, ut apud imperatorem Pisonis poenam efficerent, quod cur ab iis petiverit, non facile intelligitur, si Tiberum putavisset Pisonis conscium. Sed etiam illud, utrum Germanici in Pisonem suspicio firmis consistat argumentis necne, est addubitandum. Quamquam enim constat, inimicissimum fuisse hunc virum Drusi filio atque de morte eius et ipsum et Plancinam uxorem magnopere exultasse, vix tamen credibile est, Pisonem eo arrogantiae et contumaciae progressum esse ab initio, si sibi propositum fuisset, Germanicum veneno interimere et si perfecisset hoc consilium. Siquidem Taciti eiusque pedisequorum narrationem sequimur, omnino non dubium est, quin Tiberius odio in Germanicum inflammatus secreto Pisoni dederit mandata magnaque criminis pars imperatori sit adtribuenda (cf. Tac. an. IV, 17. IV, 1. II, 70. III, 2. II, 26. II, 43. III, 16. Suet. Tib. 52. Dio. 57, 18). Quum vero constet, nimis tristi colore Tacitum et qui eius auctoritatem sunt secuti, Suetonium ac Dionem in Tiberii moribus describendis esse versatos, neque criminis neque odii in Germanicum Tiberius coarguendus esse videtur. Quare etiam Velleium adulteratae fidei esse convictum non potest pro explorato affimari.

Iam ad finem quaestionis perveni, qua planum mihi videor fecisse, re vera Velleium fuisse adulatorem, cui non multum fidei sit habendum. Etenim quum omnia adulandi studio in Tiberii laudem et gloriam vertat, prima historiae lex, ut incorrupte atque integre res describantur, a scriptore laesa est. Non quidem nescio, alios quoque viros et eos egregios imperatores saepe

adulatos esse. Sin vero Vergilius, Horatius, Ovidius multum in laudem Augusti et Tiberii contulerunt, recorderis necesse est, multum licere poetae, quod rerum scriptori non licitum est, quum utriusque ars non iisdem finibus contineatur. Contra quod ad Valerium Maximum, Velleii aequalem, attinet, non intelligo, quomodo huius viri exemplo adulationis et adulteratae fidei criminis Velleius sit absolvendus. Est quidem verum et Valerium Maximum et plurimos Velleii aequales humillima in potentiores adulatione usos esse; attamen non ea de causa Velleium posse excusari, praesertim quum nihil esset, quod in tanta aetatis iniquitate ad scribendum accederet, clare in aperto est.